Reſidet tamen mihi, hæc tua meletemata legenti ac relegenti, iſtud altioris indaginis dubium, firmosque in animo radices agit, num forma ſive eſſentia fidei conſiſtere poſſit, ſi operum omnium bonorum non modo coëfficientia, verum ipſa etiam coëxiſtentia eidem negetur. Fides ſane in ſe conſiderata, & quatenus importat, tanquam partes eſſentiales, notitiam, aſſenſum & fiduciam, circa Chriſti meritum occupatas, non ſimplex, ſed multiplex bonum opus eſt, conſtans ex pluribus actibus ſeu operationibus, quæ ſecundum primum præceptum fiunt. Unde alias Noſtrates contra Socinianos aſſerunt, fidem eſſe virtutem in primo Decalogi præcepto jam nobis præſcriptam. Et recte. Mera enim bona opera ſunt aſſenſum præbere verbo divino, acquieſcere in Chriſto, tanquam ſuo bono ſummo, ſicque illa aſſenſus & fiduciæ firmitate adhærere Chriſto, quam fides poſtulat. Enimvero Paulus docet, fidem hanc, quæ ipſa bonum opus eſt, juſtificare, non quatenus eſt bonum opus, vel opera habet conjuncta alia, ſed quatenus fertur in Chriſtum. Eſto itaque. Separentur opera a fide, qua coëfficientiam in negotio juſtificationis: Qua coexiſtentiam certe adeo non habet ſeparatio locum, ut potius ipſa fidei eſſentia ſit deſtruenda, ſi velis a fide tollere omne illud, quod rationem operis habet. Ita vero fides erit non-fides, notitia non-notitia, aſſenſus non-aſſenſus, fiducia non-fiducia. Habent ergo mea ſententia beate morientes, cum fidem habeant, etiam bona opera, etſi non, quaten' hæc opera habent, ſed quatenus fide ſua feruntur in Chriſtum, juſtificentur.

§. LXII. Nodum hunc ut ſolvam, ante omnia nego generatim, formam ſeu eſſentiam fidei per negatam bonorum operum cum ea coëxiſtentiam deſtrui. Quod ut evidentius evadat, tenendum ℵ) me in præſenti controverſia fidem non *entitative*, prout eſt actio vel opus; verum dunta-